

# **Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois.**

## **Appendix, Lavardin Nr. 17**

In nomine summi salvatoris Dei, ego Telbaldus, gratia Dei comes, notum immo et precognitum volo esse cunctis Sancte Dei ecclesiae fidelibus, maximeque successoribus meis, quod presentiam meam adiit quidam fidelis noster nomine Salomon, ut de terra quam de nobis tenere videbatur, iure fisci, aliquid concederem Deo et Sancte Mariae semper virginis, atque Beato Martino, in cellulam quam ipse apud castrum Lavarzinense, in honorem eiusdem Dei genitricis et Sancti Martini construxit, et quam perpetualiter ad locum Maioris Monasterii delegavit. Cuius petitionem benigne recipiens, eius voluntatem compleri iudicavi. Est autem ipsa terra prope fluvium Liddi, in conspectu castri Vindocinensis. Quantitas vero eiusdem terrae quarte duae sunt, et unum molendinum, et census XIIIII solidi. Et ut hec carta in perpetuum firmior permaneat, manu propria eam firmavi, et manibus fidelium meorum corroborari feci. Qui vero hanc cartulam firmaverunt inferius nominati sunt: